

ueniemus morbos, quibus repertis inquiremus causas: postea accedemus ad curationem. Operationes læsæ in hoc Domino duæ sunt in genere quidem: animales & naturales. Naturales verò læduntur multipliciter: primùm virtus nutritiua particularis in certis membris, vt in pede dextro & sinistro apparent œdemata, quæ indicant incoctiones, quia nutriuntur illæ partes ex sanguine corrupto, imò non ex sanguine, quia hepar non sanguificat rectè, vt apparet in ambitu totius corporis. Ac ita apparet virtus nutritiua in pede læsa. Excrementa etiam indicant operationes læsas, à quibus virtutem naturalem nutritiuam diiudicamus. Vrinæ plurimum recedunt à naturali conditione: cum enim membra sint naturaliter calida, tamen ira sunt decoloratæ, atque albæ, sicut lac. Atque hoc indicat magnam incoctionem in membris naturalibus. Præterea ex magna alui constipatione hoc cognoscemus. Nam secundo Prognostico, vbi excrementa citius vel tardius egeruntur, expressè significatur diminutio caloris in membris naturalibus, & coctionis priuatio. Est verò vrinæ emissio partim naturalis, partim voluntaria, quæ fit per musculos vesicæ, cum modò emittatur vrina cum ardore, & sit stillicidium circa illam excretionem. Videmus actionem naturalem impeditam, excretiuam scilicet: quæ dupliciter læsa est. Primò diminuta, quia nõ excernit, quando & quantum oportet. Secundò corrupta, quia egerit cum dolore, & habet ardorem in emissione, & non quantum oportet exit sed stillatim. Actiones verò animales dupliciter sunt læsæ, sensitiuæ & motiuæ. Sensitiua læsa est, quia in sensu tactus, in digito pedis dextri percipit dolorem, in humeris, item & brachiis, læditur etiam circa motum: nam vrina emittitur non nisi cum maxima difficultate, quia muscoli non ita mouentur, sicut oportet, postea non potest ambulare liberè, non potest erigi. Omitto iam dolorem renum, quia huiusmodi actiones læsæ sunt ab iisdem causis. Et he sunt operationes læsæ, quæ proueniunt ab aliquo morbo, qui inquirendus. Incipiamus ab œdemate quod est in pede. Morbus est in triplici differentia, vel est à mala intemperie, vel in compositione, vel in solutione continui. Hoc œdema prouenit à mala intemperie, quæ est per affluxum materiæ frigidæ & humidæ, pituitosæ scilicet facientis affectum, qui est tumor præter naturam, qui quandoque est morbus in compositione, scilicet cum impedit membrum organicè, quandoque est in temperatura morbus, quando non impedit membrum simpliciter. Hic est in temperatura tantum, quia nõ impedit membrum à proprio motu, sed est temperatura frigida & humida. An modò talis intemperies sit ibi per consensum, aut per essentiam, scilicet, si in ipsis tibiis sit quædam intemperies, vt ibi etiam non posset confici bonus sanguis: an verò sanguis malus aut talis materia profluat ab alio membro, an verò sit ab vtroq;? Audiuius, quod illustris D. non habuit semper illud œdema, quia vbi non laborat, tunc non habet, vbi autem laborat aut equitat, statim crescit: vnde certum est, quod aliunde mandetur, & omnino dictum est, quod mandetur ab hepate, quod habet diminutæ operatio-

A nem in sanguificatione, & mandat talem materiam ac facit pedem intumescere. Bene crediderim, quòd, cum perseuerauerit hic fluxus, & assuefactum sit membrum nutritiui sanguine, & à materia frigida membrum seipso frigidius redditum, facile tandem in eam temperaturam incidisse. Ad alias actiones læsas accedo. Vrinæ albæ & decoloratæ, cum plurima materia pituitosa, & simili puri, tamen non percepi odorem aliquem, vnde pituitam magis puto: quia vbi virtus sanguificans frustratur à suo fine, multiplicat pituitam, & devenit ad venas, ac vias vrinales, quæ latæ sunt, facile tingitur vrina, per admisionem pituitæ. Albedo enim vrinæ duplex est, quædam priuatiua, quæ ob frigiditatem contingit, quædam positiva, quædo mista est cum humore, aut re alba. Constipata alui fit ob eandem causam, quia enim pituita plurimum generatur, & in intestinis viscida & crassa nunc abundat, retinet feces, quia miscetur & facit, sicut si aliquis componeret parietem ex luto viscoso, & duro. Alia etiam causa est, quia pituita plurima in intestinis existens obtundit bilem, quæ necessariò debebat excitare intestina ad excretionem, ea fit propter frigiditatem & humiditatem in hepate non naturaliter (quæ nunc laborat) sed acquisita per morbum. Ad stillicidium accedit dolor circa pectinè, quia illuc est affluxus materiæ pituitosæ & crassæ. Cum enim est in vesica vrina, quæ acris est, & stimulat naturaliter membranas, & musculum, vt egrediantur, simul premit pituita illa crassa, & excitat dolorem: cum autem mingit, liberatur à dolore, quia remota est causa. Stillicidium autem fit à multis causis, vel quia instrumentum debile, vel quòd vrina crassa. Et hanc causam esse hic credo ex parte vrinæ, & instrumenti: ob admisionem pituitæ, vrina crassior non potest ita egredi. Instrumentum autem, quia dum materia crassior tendit ad exitum, obstruitur collum vesicæ, & non potest extrudi, ita non libenter exit, & fit stillicidium. Obstrui verò hoc potest vel à grumis, vel à calculo, vel à pituita. Hic est pituita: pondus autem percipitur, quia non excernitur materia quantum oportet. Iste sunt actiones naturales læsæ, & morbi earum, videlicet intemperies frigida & humida, quæ nõ essentialiter in aliquo illorum membrorum, nisi in hepate, vnde ad membra illa mandatur. Actiones verò animales læsæ, & primò, quod ad sensum tactus. Dolor & tumores in pede, & brachiis sunt ob defluxum materiæ deuenientis ad eas partes: & voluntaria, ac sensitiva læduntur ab eadem causa, à fluxu videlicet seu materia, quæ est tanquam efficiens lædens membrum, & afferens tristem sensationem, & dolorem, quia est alteratio subita, & præcipuè, quando mouetur & laborat, quia materia retenta in nervo comprimit eum, & excitat dolorem. Eadem materia est impedimento in motu, nam imbibitur in nervis & musculis, ideo non liberè mouetur: sensitiva etiam actio læsa, in pedibus & collo vesicæ, ardor est vrinæ. Causæ huius duæ sunt, vt dixi ex parte vrinæ & instrumenti. Ex vrina, causam declarat Galenus tertio de causis symptomatum. De excretionibus, Ardor vrinæ fit à duabus causis, vel ratione viæ, vel humiditatis existentis in pene & collo vesicæ, quæ hæret in ad-

Adiones he
sal
Natos

Excreta

Vrinæ lactea

Vrinæ omni
suo partem
naturalis, par-
tem voluntaria.

Adiones
actus

œdema pedis
duo.

Stillicidium